

puniendi veniant; Ad hoc quoque leg. 3. tit. 1. lib. 1. 4. §. ult. tit. 8. lib. 8. Ordin. Reg. 2. tit. 1. lib. 1. Recop. Cast. 26. tit. 1. lib. 1. Recop. Ind. consulatur.

Referre non prætermittit tempus, quo sua peccata utriusque sexus Christianæ debent confiteri, & Eucharistiam recipere, nam ad minus semel in anno, juxta prescriptum ab ecclesia ejciendi, tempore Resurrectionis Domini; semper quod ad annos discretionis pervenerint: contraventores ab ecclesia ejciendi, cum ceteris religionem christianam profitentibus ad horas canonicas non sunt admittendi, atque ecclesiastica carebunt sepultura, l. 34. tit. 4. part. 1. Ad rem lex 19. tit. 1. lib. 1. Recop. Ind. Vid. lit. A pag. 195. col. 1. in fin.)

EUNUCHUS, EUNUCHI.

Nemo abscessionem potest in se permittere nisi de consilio Medici ad servandam vitam; & quamquam Theologi quidam admittant, ut possit quis in evirationem suam consentire ad vocis suavitatem servandam, ut dulcius in ecclesiis canat, atque inde victum sibi honestum procurare possit; adhuc tamen Theologorum id negantium opinio communis obtinuit. Disputant vero Canonistæ, num ex vi cap. Significavit sub tit. de corpor. vitiat. Sacerdos, qui id in se commiserit, possit munus Diaconi, aut Subdiaconi in missa exercere; certum est ex vi ejusdem Cap. Sacerdotem illum posse benedicere, sacramenta Baptismi, Penitentia, Extrema Unctionis administrare de licentia Episcopi: constat tamen Eunuchum hujusmodi incurere notam Irregularitatis, nec Episcopo inesse facultatem, ut det licentiam se evirandi. De Syn. dioc. lib. 11. cap. 17. §. 4. & 5. nov. edit.

(Cum corpore vitiatum ad ordines suscipiendos admitti non valeat, prævenire hic necessarium duxi, eunuchos, si ab ipsis membra ad generationem apta fuerint abscessa, ab ordinibus accendos, non vero si casu, aut peritorum consilio amputationem patiantur: leg. 25. tit. 6. p. 1. similiter his conlatis, adoptio procedet: leg. 2. & 3. tit. 16. p. 4. 3. tit. 22. lib. 4. Reg. For. Sine poena non permanet qui hominem quemlibet intestem effecerit, seu vim gerendi in totum ademerit; nam mandans, & exequens, nisi propter ægritudinis levamen a phisico prescriptum, ut homicidæ puniuntur; leg. 13. tit. 8. p. 7.)

Alia de Eunuchis, vide verb. Impedimenta matrimonii, art. 2. num. 38. 39. & verb. Patria Potestas num. 27.

EVICTIO.

SUMMARIUM.

- 1 Evictio quid sit.
- 2 Statim acceptori lit movetur ad rem evincendam, tenetur venditor emptorem defendere, & litem in se assumere.
- 3 Nisi tamen sciat rem esse alienam, qua tunc absque litem illam domino, pretium autem & interesse emptori restituere debet.
- 4 Venditor bonæ fidei non tenetur defendere emptorem, & litem in se assumere, nisi prius eum laudaverit emptor.
- 5 Denuntiare venditori litem esse motam, idem est in jure, ac laudare auctorem.
- 6 Tunc rite fit talis denunciatio, quando emptor venditorem expresse requirit, ut veniat, rem suam defendat, & mota liti assistat.
- 7 Venditor etsi in contractu specialiter non promiserit evictionem, tenetur ad ipsam, postquam res vendita fuerit evicta.
- 8 Venditor tenetur re evicta restituere emptori totum pretium, si tota res fuerit evicta, & partem solum, si pars tantum evicta sit.
- 9 Immo venditor re evicta, non solum pretium, sed tenetur emptori restituere, & præstare totum id, quod ipsius emptoris interest, rem non esse evictam.
- 10 Nomine illius, quod interest, venit lucrum cessans, & damnum emergens.
- 11 Ad hoc ut venditor actione evictionis teneatur, & præ-

tium, & interesse restituere, requiritur quod emptor prius eum laudaverit.

- 12 Item requiritur, quod sententia contra emptorem jam sit lata, & executioni mandata.
- 13 Venditor bonæ fidei pluribus in casibus non tenetur emptori de evictione, ad num. 24.
- 25 Si autem venditor fuisse mala fidei, tunc de dolo tenetur, & totum pretium cum interesse restituere debet, etiamsi expresse convenerit, quod de evictione non teneatur, nec quoad interesse, nec quoad pretium.
- 26 Adit. inseruntur, ad num. 99.

EVICTIO est rei propriæ, quam alius justo titulo acquisitam habet, apud Judicem peremptio; Est in re communis. Ex quo enim non semel contingat, quod etiam res alienæ v. g. furto ablatæ, vel ad illum justo titulo pertinentes, ipso vero domino inscio, & invito vendantur, permittuntur, vel alio modo alienentur; hinc Jura ad hujusmodi maliis hominum obviantur, & sic injuste damnificatis succurrunt, statuerunt, quod quicumque fuerit scilicet iniuste læsi, possint auctoritate Judicis, rem vere suam nondum præscriptam, iterum recuperare, & hæc recuperatio dicitur rei evictio; & quia per talem evictionem, is, qui prius rem acquisiverat justo titulo, v. g. emptiois, permutationis, receptionis in solutum pro debito, vel receptionis in dotem, & hujusmodi, eadem res licet juste possessa privatur; statuerunt quoque Jura, quod ipse etiam possit se reddere indemnem agendo ex emptio contra eum, qui talem rem alienam sibi vendidit, permittavit, in solutum pro debito debet, vel in dotem tradidit, & hujusmodi, & sic possit illum in judio cogere, ut pretium, ac interesse sibi restituat; leg. 1. ff. De evict. leg. Non dubitetur 6. Cod. de rerum permutation. Statim acceptori lit movetur ad rem evincendam, tenetur venditor bonæ fidei emptorem defendere, litemque in se assumere, & propriis expensis prosequi, & quamvis ad hoc specialiter se non obligaverit, dummodo tamen illum debito tempore emptor laudaverit, seu quod in Jure idem est, ei legitime intimaverit litem esse motam; Abbas in cap. ult. num. 11. de emptio. & vendit. Bartol. in leg. Qui absentem 75. ff. De Procur. cum aliis; arg. leg. Si plus 74. §. 2. ff. De evict. ibi: Nota questio inter in non ad pretium restituendum, sed ad rem referendam venditor conveniri potest. Notanter autem dicitur in conclusione, quod emptorem defendere, litemque in se assumere tenetur venditor bonæ fidei; quia venditor malæ fidei, scilicet qui sciens rem alienam vendidit, non potest tuta conscientia litem assumere, & ipsam rem defendere, sed tenetur absque litem eam restituere proprio domino; Regul. Peccatum 4. de Regul. Juris in 6. ibi: Peccatum non dimittitur, nisi restitatur ablatum, (Consonat lex 25. tit. 20. p. 1. 2. tit. 15. p. 6.) & pretium, & interesse restituere debet emptori decepto; leg. Servus 30. §. Si sciens ff. de actione empti. Venditor autem bonæ fidei, qui ex dictis tenetur emptorem defendere, & litem in se assumere, ad id non tenetur nisi prius emptor eum laudaverit, seu litem esse motam legitime denuntiaverit; leg. Emptor, & leg. Empti actio 21. Cod. de evict. & cap. Si venditori 7. de emptio. & vendit. ibi: Si venditori post institutum contra se judicium quis omiserit, ut rem venditam sibi defenderet, nuntiari... de evictione juxta legitimas sanctiones (scilicet juxta leges) agere non valebit. Denuntiare venditori litem esse motam, idem est in Jure, ac laudare auctorem; leg. Auctori laudato 7. Cod. de eviction. leg. Tenetur ff. de actionib. empti. Romani enim vocabant Auctorem eum, à quo quis jus aliquod, seu causam possidendi habebat; Regul. 175. de Reg. Juris. Tunc autem rite fit talis denunciatio, seu venditor legitime laudatur, quando emptor venditorem expresse requirit, ut veniat, rem suam defendat, & mota liti assistat; Sic Communis cum Molina disp. 380. num. 9. Covarr. lib. 3. variat. resol. cap. 17. num. 3. Abbat. in cit. cap. Si venditori 7. de emptio. & vend. num. 3.

Venditor, etsi in contractu specialiter non promiserit evictionem, tenetur ad ipsam, postquam res vendita fuerit evicta; textu expresso in leg. Non dubitetur 6. Cod. de eviction. ibi: Non dubitetur, etri specialiter venditor evic-

evictionem non promiserit, re evicta, ex emptio competere actionem. Unde venditor tenetur re evicta restituere emptori totum pretium, si tota res fuerit evicta, & partem solum, si pars tantum evicta sit; leg. 1. Bonitatis 13. leg. Ex mille 64. princ. ff. de evict. Immo venditor re evicta, non solum pretium, sed tenetur emptori restituere, & præstare totum id, quod ipsius emptoris interest, rem non esse evictam; textu expresso in leg. Titius 48. ff. De actionib. emp. ibi: Non enim pretium continet tantum, sed omne, quod interest emptoris, & in leg. Evicta 70. ff. de eviction. num. ibi: Evicta re ex emptio actio non ad pretium dumtaxat recipiendum, sed ad id, quod interest emptoris, committitur. Nomine autem illius, quod interest venit lucrum cessans, & damnum emergens; leg. si sterilis 21. §. 3. ff. De actionib. empti. Unde si fundus alluvione crevit, augmentum illius est præstandum emptori leg. Evicta re 16. princ. ff. De evict. damni tamen jactura debet esse certa, & liquida, leg. Quædammodo 19. §. 3. ff. ad leg. Aquil. simulque vera ex ipsa natura rei, & non ex privato emptoris affectu proveniens; textu expresso in leg. Pretia rerum 63. ff. Ad legem Falcidiam, ibi: Pretia rerum non ex affectu, nec utilitate singulorum, sed communiter funguntur, & in leg. Servum 33. ad leg. Aquilianam; ibi: Non afflictiones autimandas esse puto, sed quanti omnibus valore. Ad hoc autem, ut venditor actione evictionis teneatur, & pretium, & interesse restituere, requiritur quod emptor eundem fuit laudaverit, seu eidem legitime denuntiaverit litem moveri. Est communis arg. leg. Emptor, & leg. Empti actio 21. Cod. de evict. & cap. Si venditori 7. de emptio. & vendit. Item requiritur, quod sententia contra emptorem jam sit lata; leg. Si plus 74. §. fin. ff. De evict. leg. Qui rem 3. Cod. cod. & executioni mandata; leg. Habere 57. ff. De evict.

Venditor bonæ fidei pluribus in casibus non tenetur emptori de evictione. Primo venditor bonæ fidei non tenetur de evictione, quando non fuit laudatus ab emptore, seu quando emptor non ei denuntiavit motam esse litem super re illa, ut videat, an velit illam defendere; leg. Emptor, & leg. Empti actio 21. Cod. de evict. cap. Si venditori 7. de emptio. & vendit. Non tamen prærequiritur hæc denunciatio, quando evidens, & manifestum est rem non fuisse venditoris, sed actoris, qui eam petit, ita ut non possit illa tergiversatione clari, & aperte constat nullam competere defensionem venditori; Colligitur ex leg. Emptorem in princip. ff. De actione empti. & testatur de communi Covarr. lib. 3. variat. resol. cap. 3. num. 6. Nec etiam prærequiritur denunciatio, quando emptor est minor; arg. leg. Minor. 3. Cod. in quibus causis in inter. leg. Minor. 3. Minor enim non privatur jure agendi contra venditorem in casu evictionis, dummodo venditor aliquid de seaverit litem moveri emptori. Neque etiam prærequiritur denunciatio, quando emptrix est ecclesia, quia ecclesiæ agere jure minorum, cap. Requisivit, & cap. Auditus, de restitut. in integrum, & est communis. Secundo venditor bonæ fidei non tenetur de evictione, quando res evicta est culpa Judicis sententia per injuriam lata; cap. Si venditori 7. de emptio. & vendit. ibi: Seu per injuriam sententia lata fuit, de evictione juxta legitimas sanctiones agere non valebit; concordat l. Si per imprudentiam 51. in princip. ff. de evict. ibi: Si per imprudentiam Judicis, aut errorem emptor rei evictus est; Negamus Auctoris damnus esse debere. Aut quid refert, soribus Judicis, an stultitia res perierit? Injuria tamen, que fit; emptori, Auctorem non debet contingere. Emptor tamen in tali casu agere potest contra Judicem; leg. 2. Cod. de poena Judic. qui male judic. & princip. irritat. de obligat. que ex quasi delicto. Tertio venditor bonæ fidei de evictione non tenetur, quando emptor contumaciter absuit tempore sententia promulgata, cit. cap. Si venditori 7. de emptio. & vendit. ibi: Vel contumaciter absuit tempore sententia promulgata, de evictione juxta legitimas sanctiones agere non valebit, & rationem dat Ulpianus leg. Si ideo 55. princ. de evictio. Magis enim propter absentiam vicus videtur, quam quod malam causam habuit.

Quarto venditor bonæ fidei de evictione non tenetur, quando emptor præscribere rem potuit, & culpa sua, vel negligentia non præscripsit; leg. Si dictum 56. §. Si cum

posset, ff. de evict. Quinto venditor bonæ fidei non tenetur de evictione, quando ipso absente emptor non appellavit à sententia; leg. Herennius 63. §. Quia ff. de evict. quod intelligendum est, nisi manifesta esset justitia sententia prolata, & actoris. Sexto venditor non tenetur de evictione, quando emptor litem motam definitè permisit per Judicem arbitrum ad quem causæ cognitio non spectabat; leg. Si dictum 56. §. Si compromiserit, ff. de evict. Septimo venditor non tenetur de evictione, quando emptor sua culpa amisit rei possessionem, unde ex reo factus actor cecidit in causa proprietatis; leg. Si rem, quam 29. ff. de evict. Octavo venditor non tenetur de evictione, quando emptor tempore emptiois sciebat rem esse alienam, nisi adhuc expresse conventum fuerit, quod venditor de evictione teneatur; leg. Si Fundum 27. ff. de evict. leg. Si fratres 7. Cod. communia Judic. Non venditor bonæ fidei non tenetur de evictione, quando expressum fuit in contractu, ut de evictione non teneatur, tunc autem licet ad interesse, & damna non teneatur, tenetur tamen re evicta reddere pretium emptori, nisi hæc etiam obligatio expresse in contractu ablata fuisset; leg. Ex empto 11. §. ult. ff. de action. & ratio est, quia ex regul. 85. Juris in 6. Contractus in conventionem legem accipere dignoscuntur. (Vide lit. B. pag. 216. numer 33. Præter ex leg. 2. tit. 20. lib. 3. For. leg. 1. tit. 5. lib. 5. Recop. Castell.) Si autem venditor fuisse malæ fidei, id est sciens rem esse alienam, tunc de dolo tenetur, & totum pretium cum interesse restituere debet, etiamsi expresse convenerit quod de evictione non teneatur, nec quoad interesse, nec quoad pretium; id est quod ad nihil omnimode teneatur; leg. Tenetur 6. §. fin. de action. emp. leg. Ex empto 11. §. 1. ff. eod. & ratio est, quia fraus, & dolus alicui patrocinari non debet; cap. Ex tenore 16. de rescript. cap. Ex literis 2. de dolo, & contum. cap. Tunc 12. de Cleric. non residentib. & leg. In fundo, ff. de rei vindic. leg. Cum hi, ff. de transact. leg. Si Legatarius, C. de legatis.

De materia evictionis, quæ frequentissima in foro es, pro dignitate minime agit Auctor. Agendum igitur de ea paulo latius. Evincere in sensu juris importat rem ab alio possessam meliori jure demonstrato, imploratoque Judicis auxilio possessori auferre. Præstare vero evictionem significat præstare reparationem damni, quod possessor rei ablatæ ex illa ablatione passus est, ut nempe possessor indemnis maneat; Stryk. in usu modern. Pandect. lib. 21. tit. 5. §. 1. Plura autem concurrant oportet, ut præstetur evictio. I. Ut si qui evictionem passus est, rem accepit ex titulo oneroso. Hinc est, quod præstatur evictio in emptio, & venditione, leg. 1. ff. de evict. in datione in solutum, leg. 4. Cod. eodem, in permutatione, leg. 29. Cod. eod. in divisione hereditatis, leg. 66. §. ult. ff. de eod. in transactione, leg. 33. C. de transact. Sed vide quando in transactione præstetur evictio apud Rotam in Bononien. Pecuniaria 5. Junii 1747. cor. bon. men. Vais. in Locatione, leg. 9. in princip. ff. Leg. in divisione rei communis singularis, leg. 10. §. final. ff. Commun. divid. in emphiteusi, in fundo, & in omnibus contractibus nominatis, Franchzk. ad tit. ff. de evict. num. 411. & seq. (Facta judicialiter divisione hereditatis mutuo heredes de evictione promittere obligantur: verum est, quod etiamsi tale pactum defecerit, hæc actio locum habebit; non ita se gerit, si à patre talis divisio fuerit effectum sortita, sic per leg. 9. tit. 15. part. 6. cum glor. D. Gregor. Lop. proponitur. Vid. in add. h. p. lit. A pag. 96.)

In negotiis itaque lucrativis evictio minime præstatur. Inde non præstatur in donatione, nisi fuerit promissa, leg. 9. C. de evict. sed quando in donatione possit dici promissa evictio tradit Rot. in Romana Pecuniaria 15. Februarii 1733. cor. Reverendis. P. D. Busio Decano, vel donans fuerit in dolo; leg. 18. §. 3. de donat. Immo nec sufficit, quod donans dolose egerit, & animo decipiendi sciens rem alienam donaverit, sed requiritur insuper, ut donatarius magnos sumptus in rem donatam fecerit, ita ut de damno virando, non de solucio cap-tando certet; Stryk. in usu modern. Pandect. lib. 7. tit. 2. §. 5. Richter. dec. 23. num. 4. Num præstanda sit in dona-

tione evictio, si ea non à traditione, sed à promissione incipiat, vide dissentientes inter se DD. apud Stryk. in usu modern. Pandect. lib. 2. tit. 2. §. 6. Ceterum in donationibus remuneratoriis, tum in illis quæ fiunt ob causam aliquam futuram, præstatur evictio, propterea quod his in casibus aliquid onerosi vere subest, Bruneman. ad leg. 18. de donation. Ricter. decis. 23. num. 6.

43 In legatis nec præstatur regulariter evictio, leg. 77. §. 8. ff. de Legat. 1. Intellige tamen in legato speciei. Si enim genus aliquod legatum fuerit, & hæres rem evincibilem seu alienam solverit, tunc legatarius etiam ante evictionem agere potest rem solutam esse alienam, l. 29. §. 3. ff. de Legat. 3. Item intellige in legato ab ignorante testatore facto. Quod si testator sciens rem alienam legavit, tunc hæres de evictione tenetur, leg. 10. Cod. de Legat. modo legatarius scientiam hanc testatoris probet. Intellige demum in legato personæ extraneæ relicto; nam si res aliena ignoranter quidem legetur, sed tamen conjuncte personæ, præstatur evictio; leg. Quum alienam Cod. de evict. Quamvis autem dicatur conjuncta persona tradit Guzman. de evict. quest. 27. num. 20. & sequent. (Consonat lex 10. 11. & 37. tit. 9. part. 6. in prima etiam quæ sint personæ conjunctæ, demonstratur, scilicet mulier, seu consanguineus. Ad rem vid. leg. 34. ejusd. tit. & p.)

52 II. Ut proprio nomine & jure tradens rem illi cui vincitur tradiderit. Ex quo sequitur, quod Tutores, Curatores, Insitores, & Procuratores evictionem præstare non teneantur; Stryk. in usu modern. Pandect. lib. 21. tit. 2. §. 46. Idem dic de Creditore vendente pignus: dummodo habuerit jus distrahendi pignus, ignoraveritque rem pignori subjctam esse alienam; Stryk. loc. cit.

53 §. 44. & seq. Num id ipsum procedat in marito uxoris bona vendentem? Vide plures quos hic distinguit casus idem Auctor eodem loco §. 51. & sequent.

54 III. Ut res ipsa fuerit evicta, quæcumque demum fuerit, sufficienter rem pro parte evincti, sive homogenea sive heterogenea; Bruneman. ad leg. 36. & 56. ff. de evict. Franzk. ad dict. tit. de evict. num. 20. & sequent. Interest tamen utrum universitates an singule res venditæ, qui vendidit universitatem, tenetur utique præstare evictionem, si integra universitas à tertio evicta sit, non item si res aliquæ singulares per modum evictionis ablatae sint; leg. 1. Cod. de evict. Declara tamen de venditione universitatis juris, puta hereditatis, & peculii. De venditione vero gregis, bibliothecæ, aliarumque Universitatum corporum, seu facti, non conveniunt inter se Doctores. Placuit hæc distinctio: Si universitas hæc facti per aversionem distrahat, & ita singula corpora non vendantur, nec in illa pretium constituatur, non tenetur venditor præstare evictionem propter singulas res evictas. Sin autem dicta universitas facti sub certo numero capitum pretio in quolibet constituto vendatur, præstare evictionem tenetur venditor propter singulas res evictas; Franzk. ad tit. de evict. num. 16. & seq. Engelbrecht ad eundem titulum disp. 13. §. 18.

60 IV. Ut acta fuerit evicta, leg. 3. C. de evict. Ceterum si in limine contractus imminet evictio, alter ad contractum implendum minime tenetur; leg. 24. ff. Cod. de evict. Quid si sola possessio evicta? Confer Stryk. in usu modern. Pandect. leg. 21. tit. 2. §. 43. tum Rot. in Turbina evictionis 20. Junii 1746. cor. bon. men. Vais.

62 V. Ut sit evicta sententia judiciali. Unde si possessor rei mota ipsi controversia compromittat, & succubuerit, nulla (sicut Paulus in leg. 56. §. 1. ff. de evict.) actio de evictione danda est adversus venditorem, quia compromissum (hanc hujus dispositionis rationem subjungit idem Paulus) nulla necessitate cogente factum. Ex hac vero ratione facile est intelligere, agere de evictione posse eum qui compromissum & succubuit, si statuto aut alio quomodolibet compromittere tenebatur; Mudæus ad tit. de act. empt. Rubr. Quando committit stipul. num. 13. & seq.

64 Stryk. in usu modern. Pandect. lib. 21. tit. 2. §. 10. Quæri solet an & agere de evictione possit, si venditor evictione possit, si venditor evictionem promisit cum clausula generali: Quomodo vel qualitercumque res evicta fuerit? Affirmant Franzk. ad tit. de eviction. num. 767. Hartmann Pistor. lib. 2. quest. 10. num. 19. Sed alii declarant,

ut in hoc casu ad pretium tantum, non item ad duplum si tale promissum aut interesse agi possit; Bruneman. ad leg. 10. §. 1. num. ff. de evict.

Nec evictio præstanda est, si res evicta sit per sententiam Judicis incompetenti, in cujus jurisdictionem emptor forte consensit; Franzk. ad tit. de evict. num. 769. Balth. tit. 8. resol. 7. num. 6. Item si emptor transiit aut liti renuntiavit; Burgund. de evict. cap. 78. ser. per tot. Emptore vi dejecto non est locus præstationi evictionis, & hoc procedere volunt Doctores licet venditor promiserit quod emptorem de jure & de facto defendere velit; tum licet dixerit se velle teneri quomodocumque res evincatur; Mangil. de evict. quest. 19. ser. per tot. Nec regulariter præstatur evictio erepta re per mandatum Principis; leg. 11. ff. de evict. nisi venditor sciverit Principem id facturum esse, & nihilominus hoc reticendum fundum alienavit. Vide Stryk. jurisd. distict. vol. 6. disp. de Princip. evincens.

VI. Ut evicta sit res potiori jure evinctis, quod contractus jam antecedit. Quapropter si res fuerit evicta ex retractu, præstatio evictionis locum non habet, & quidem tametsi emptor omne periculum in se susceperit; Franzk. ad tit. de evict. num. 292. Intellige tamen de retractu legali, non item conventionali; Evicta enim res retractu conventionali agitur de evictione, nisi ejus notitiam habuerit emptor; Bruneman. ad leg. 11. num. 8. ff. de evict. Mev. part. 5. dec. 312. per tot. Quid si emptor per injustam Judicis sententiam fuit condemnatus?

Negare videtur Ulpianus in leg. 51. in princ. ff. de evict. At Doctores communiter dictum Ulpianum restringunt ad eum casum, si Judex nullo juris ordine servato, & velo levato emptorem privavit. Ad Stryk. in usu modern. Pandect. lib. 21. tit. 2. §. 13. Re evicta culpa possessoris locum haud esse evictioni omnes intelligunt, & definitum est in leg. 34. & in leg. 56. §. 1. ff. de evict. Quando autem res dici possit evicta culpa possessoris, explicat Stryk. loc. cit. §. 14. & seq.

VII. Ut legitime evictio præstari denuntiata fuerit auctori, vel ejus heredibus, & quidem omnibus; leg. 29. §. ff. de evict. leg. 9. Cod. eod. tit. Fidejussori vero venditoris non est denuntiandum. Fieri debet denuntiatio judicialiter, ita scilicet ut in ipsa denuntiatio venditor de genere motæ litis instruat, misso etiam libello & citationis exemplo. Potest vero fieri quavis tempore, modo Auctori adhuc liberum, ut probationes, quas è re esse censuerit, pro libitu afferre, & præsentem possessorem hac ratione defendere queat. An fieri possit in instantia appellationis? Et in quo judicio litis denuntiatio fieri debet? vide apud Stryk. ubi supra §. 20. & 21. Cessat necessitas denuntiationis, si pacto fuerit remissa, vel inutilis futura erat; Rot. in Romana Reportationis Pecuniarum 9. Maii 1748. cor. bon. men. Vais, & in Faventina seu Ferrariorum evictionis 15. Maii. 1748. cor. Illustrissimo Molin.

VIII. Ut præstatio evictionis non sit remissa. Remittitur ea vel lege, ut si quid in ludo venditum sit; leg. 2. §. 1. quarum rerum act. non dat. & quidem sive venditio fiat collusori, sive extraneo modo licet sciat quod venditor pecunia ex re vendita redacta ad ludendum uti velit; vel pacto contrahentium tum expresso, tum tacito; Stryk. in usu modern. Pandect. lib. 21. tit. 2. §. 49. ubi au ad pretium agi saltem possit. Huc etiam pertinet questio, an si emptor sciverit rem alienam esse, eamque emerit tacite, remissis intelligatur præstationem evictionis. Affirmant ex text. in leg. 27. Cod. de evict. Brunemann. ad dict. leg. 27. in fin. Cod. de evict. Hartmann. Pistor. p. 2. quest. 10. num. 22. Cald. de empt. cap. 11. num. 6. & ita quidem, ut emptor nec ad pretium agere valeat. At pretium repeti posse ex text. in leg. ult. Cod. Comment. de Legat. tenet Perez, ad Cod. hoc tit. de evict. num. 24. Omitendum vero haud est, in dict. leg. ultim. agi de alienatione rei fideicommissi conditionali vel sub incerto die gravata, ubi jus vendendi pendente conditione, quæ deficere potest, ex legis promissione gravatus habet. Consule etiam in hac controversia Rot. in Romana Evictionis 20. Jan. 1749. cor. Illustriss. Caprar. Aim. Urb. Gubernat.

His

94 His concurrentibus agunt de evictionis præstatione emptores & eorum hæres, non item successores singulares nisi facta cessione. Agunt contra auctorem & hæres; leg. 9. & 24. Cod. de evict. ac fidejussor, leg. 4.

96 princ. ff. eod. tit. leg. 7. 8. 18. Cod. pariter eod. tit. Et si plures auctores sint, contra singulos in solidum, leg. 5. 1. fm. dict. tit. Petitur vero evictionis præstatio vel ex natura negotii, vel actione ex stipulato, & quidem in foro auctoris competenti. In effectu hæc subest differentia, quod in hic id tantum continetur quod est promissum. Illa est largior, & continet pretium rei, interesse, & damnum, sumptus litis, aliosque, quos ab evincente servare non potuit. Quod æstimatio in actione ex contractu bonæ fidei fiat secundum tempus evictionis, in actione vero ex stipulato, attendatur tempus evictionis, Franzk.

99 ad tit. de evict. §. 57. & plur. seq. Et hac cum distinctione intelligi debet Rot. dum inquit, pretium solvendum esse spectato tempore evictionis, ut in Romana seu Januæ officii evictio 16. Junii 1748. & 12. Maii 1749. cor. R. P. D. Elephas. & (Verb. Damnificatio)

(Quando est evictio locus, per consequens rem alienam tradentes, si ab accipiente verus dominus eadem substulerit, hunc sine indennem servare teneantur, præsens tractatus admonet: ad magistrum D. Antonium Gomez. var. resol. tom. 2. ex num. 33. ad 48. & D. Alphonsum de Guzman in suo opere de eviction. remittere Lectorem sufficere videbatur, ut palam efficeretur, hic exposita ab eorum doctrina non differri; sed ab incepto hinc ne digrediar, utpote meum est præcipuum obiectum, quid Leges disponant, non præterintendi, casus, quos, amplectantur, referuntur.)

Quatuor species in præsens illico offeruntur, videlicet rerum particularium venditio, universalitatis, dotatum, & pignoris distractio. Ad primam: nullus ambigit, rem venditam liberam esse tradendam, quamvis rei alienæ emptio non possit non subsistere: verum ut de evictione venditor possit conveniri, permulta in considerationem veniunt: alienam esse aut scit emptor, aut venditoris propriam: si illud, nisi conventio de evictione præcesserit, res evicta, ex parte venditoris nulla superest obligatio, si hoc, pretium non solum, sed etiam damna, & interesse restituenda; leg. 19. tit. 5. part. 5. sic decernitur; super rei proprietate, possessione, seu jure aliquo, veri valoris pretium imminuente cum quaestio fuerit suborta, ut minimum, antequam testium in causa sit facta publicatio, litis motæ certior venditor effici debet: securus enim omni actione, controversia amissa, emptor destituitur: facta equidem congruo tempore denuntiatione, sive ad iudicium venditor comparuerit, aut non, qualitate amissionis intercedente, superscripta in restitutionem cadunt; leg. 32. ejusd. tit. & part. Ut omnis omitatur repetitio circa casum numerationem, in quibus locus evictioni non datur, leg. 36. tit. ejusd. & part. recognoscatur: in eaque reperientur, non tantum quæ ab Auctore ex num. 13. proponuntur, sed alia species, utpote quoque fit mentio de casu, quo emptor causa deperdit, appellationem non interposuit: si in alea ut actionem lusoriam (vid. verb. Ludus) quilibet prosequatur, rei sit facta venditio: si patiar emptor, ex re vendita aliquid sacrum fieri: nec obliviscitur exempli ancille venditæ, nam si eam emptor publice prostituat, libertatem consequitur: (vid. etiam leg. 4. tit. 22. part. 4.) & evictio non competit. Quamvis hæc ita sint, quæ num. 19. proponuntur, considera, nam quod meum est sine facto nostro ad alium transferri non potest: Reg. 13. tit. 34. part. 7. ideo nihil proderit venditori, ut de evictione non teneatur, omisso, seu negligentia in acti præscriptionis: suo domino res semper clamitant.

Decisio textus in leg. 37. tit. 5. part. 5. haud facile per me comprehenditur: proportionem equidem, re vendita, & tradita, si à Principe, mandato ejus capiatur, dummodo per litteram plumbatam emptori præcipiatur, ut vendat, seu illius rei alienationi consentiat, non valere esse locum evictioni: ac idem evenire, si per regionum calculatorum litteras ab emptore auferatur: notanter dicitur haud facile per me comprehenditur, quippe, quamquam sit rex totius suæ ditionis dominus, à subditis ne-

quit absque eorumdem beneplacito adimere quodquam, præterquam quod ob communem utilitatem ea opus fuerit; & tunc non aliter, nisi prius pretium solitum, resque majoris, seu ad minus æqualis æstimationis pro hoc domino præstetur vel satisfiat; leg. 2. ibi: Otrosi: tit. 1. part. 2. 31. tit. 18. part. 3. Immo leg. 53. tit. 5. part. 5. præscribitur, re aliena à Principe vendita, in actionem viam nullam relinqui, ut questio circa rem ab eodem venditam aliquam moveatur, nam pleno jure ea adquiretur: adversus fiscum intra quadrienni terminum ad pretii recuperationem est actio dirigenda: elapso vero illius regressus non datur (hic parumper sistito) iis omnibus præmissis dict. leg. 37. intelligentia mihi jam difficilis non videtur, eo quod si ab emptore res ita auferatur, ex causa, quæ viam evictioni aperit, scilicet ex rei alienæ traditione non provenit, sed regia voluntate, ideo huic actioni ingressus dari non valet: verumtamen circa præter repetitionem seu amissionem nec ullum verbum invenitur; quapropter alterutris dispositionibus collatis, si præjudicium emptor non consequitur, ad quid evictio? In præcedentis assertiois comprobationem recognoscatur §. 7. 8. 9. 14. & 15. reg. sched. 15. Maii anno 1770. in cursum navigationis prope villam matritensem periculi expedire mandata: in quibus singulis, postquam esse regni statui hoc opus summæ considerationis, regio patrimonio, finitimisque oppidis non pauca utilitatis asseveratur, decernitur, quodlibet detrimentum subditis hac de causa, resbus peculiariter ad eosdem pertinentibus illatum, esse resarciendum.

De quo nullus ambigit, casus obijcit, dum Rex pro debiti in ejus favorem solutione alijus rei venditionem imperat: siquidem evicta, nisi à regia persona sic fuerit promissum, dumtaxat debitor seu ejus hæres ad evictionem tenentur: vid. leg. 23. tit. 18. part. 3. cum gloss. D. Gregor. Lopez præcipue in gloss. fin.

Ad secundum, videlicet de re universalitatis vendita: jus ad alium hereditatem relictam si venundetur, ea in totum evicta, evictio competit, non vero, si res singularis in redditum regalium (vid. lit. E pag. 228. col. 1. in novis hisp. add.) venditione idem eventit, licet hic etiam concedatur, partem majorem evincendo, leg. 34. tit. 5. part. 5. & converso, navi, domo, seu grege dividitis, si quælibet pars tollitur, venditor tamquam si tota fuerit evicta, obligatur: leg. 35. tit. præcit. & part. Confer antecessentia cum eis, quæ ex num. 6. ad 59. inclusive ab Auctore additionum exponuntur, nec officit memoratæ demandare prope med. in add. hisp. novis. lit. E pag. 241. colum. 2.

Ad tertium, dum res dotalis vincitur: æstimata, aut inæstimata traditur: sub æstimatione dote constituta, in ejus locum res alia est subroganda: inæstimata, ad mulierem periculum spectat Summa tamen distinctione erit procedendum: propterea, vel ad evictionis præstationem pactum præcedit, vel non: quod stipulatur, adimplebitur: si non intercedit, aut bona, seu mala fide periclitur rei dotalis traditio: primo casu nemo de evictione tenetur: in secundo, qui tradidit, obligatur; si sub æstimatione fuit dote constituta, (vid. verb. Dos) & post matrimonii celebrationem evicta, in ejus locum debet res alia subrogari, ut est supra dictum.

Ad ultimum, ex insinuatibus quatuor speciebus nihil videtur animadversione dignum præter leg. 50. tit. 13. p. 5. in qua deciditur, si res pignori obligata, à creditore, ut sibi vendere liceat, accepta, sub eadem qualitate vendita, evincatur, de evictione actionem in creditorem; sed in debitorem non competere: tres casus in dicta lege exprimuntur propter quos teneri creditorem convincitur, scilicet pacto intercedente, re tamquam aliena accepta, & vendita, aut tamquam propria, non ut pignori obligata.

Denique, etsi per leg. 33. tit. 5. part. 5. stabilitur, contra emptorem esse ad rei recuperationem procedendum; nihilominus, si venditor requisitus comparere in judicio voluerit, cum eo debere de evictione agenter contendere, & si noluerit, cum emptore esse iudicium prosequendum, per eandem determinatur: conducent leg. 6. & 7. tit. 10. lib. 3. For. Reg.

Hæc & cetera interposita sunt quæ circa tam utilem ma-

materiam decisa reperiuntur: & quamvis specificè alia non sint ad singulos casus per me inventa, sufficiunt prænotata, ut quilibet reliquis exemplis in prædictis legibus non contentis, assensum præbeat, aut obstat.)

EXAMEN, EXAMINARE, EXAMINARI, Examinatores Synodales.

SUMMARIUM.

- 1. Examen novum non est necessarium in permutationibus ecclesiarum parochialium.
2. Si vero adit magna inæqualitas parochianorum, aut permittentes non fuerint examinati eo tempore, quo parochiales adepti sunt, aut permutationes sint de beneficio simplici, & Curato, tum licet non sit necessarius concursus, est tamen necessarium examen.
3. Examen novum requiritur in quolibet ascensu &c.
4. Dum datur presentatio cuiusvis beneficii, an institutio fieri absque prævio examine valeat: an examinatus examinandus: à quo provisus examinandi veniant, & quid in Romæ degentibus, ad num. 16.
17. Regulares, an sint examinandi: à quo, & quando iterari, seu examen repeti possit, ad num. 25.
26. Synodaliū examinatum electio per quem est faciendā, eorum qualitates, & numerus, ad num. 35.
26. An examinatores aliquid possint pro labore accipere: quas penas contravenientes incurrant: quomodo se gerere debeant in qualitatū examinatum relatione, ad num. 44.
45. Ad quem spectat de idoneitate iudicare, & quis idoneus dicatur, ad num. 50.
51. Alia ad rem, remissive, ad num. 52.
53. Subnectuntur Auditoris supplementa, ad num. 70.
71. Additiones ex aliena manu referuntur, ad num. 75.

EXAMEN NOVUM non est necessarium in permutationibus ecclesiarum parochialium; Sic decisum fuisse à Sac. Cong. Concil. refert Garzias part. 9. cap. 2. num. 165. Si vero adit magna inæqualitas parochianorum, aut permittentes non fuerint examinati eo tempore, quo parochiales adepti sunt, aut permutationes sint de beneficio simplici, & Curato, tum licet non sit necessarius concursus, est tamen necessarium examen, ex citata decisione Sac. Cong. Concil. relata à Garzias dict. part. 9. cap. 2. num. 165. Examen novum requiritur in quolibet ascensu, qui fit in aliquibus ecclesiis, occurrente vacatione Canonici, ad quem solet institui antiquior portionarius, ad portionem antiquior Beneficiatus, ad beneficium antiquior expectans. Sic resolutum fuisse refert Garzias de beneficiis part. 9. cap. 4. num. 19. Presentati ad beneficia simplicia absque prævio examine Episcopi institui non possunt ab iis, ad quos institutio spectat; Sic decisum fuisse refert Garzias d. part. 1. num. 19. ad 2. Beneficia in ecclesiis patrimonialibus, sive receptivis numeratis, & non numeratis, nullus consequi potest sine prævio examine, & approbatione Episcopi; Sic resolutum fuisse refert Garzias dict. part. 9. cap. 2. num. 183. Examen delegari potest ab Episcopo, cui directè sunt Bullæ alicujus simplicis beneficii conferendi Clerico absentī, in forma dignum, præsertim si is longe absit, aut ægrotet; Sac. Cong. Conc. teste Selio in selectis canonice cap. 21. num. 70. Examen, & approbatio Vicario ad curam animarum positurum in ecclesiis unitis Ordini Sancti Joannis Hierosolymitani, ad Episcopum pertinet; Sac. Congreg. Conc. in Augustana 4. Decembris 1031. Examinare non potest Episcopus ab beneficium simplex illum, quem jam examinaverat pro Ordinis Sacri promotione; Sic resolvunt Garzias dict. part. 9. cap. 3. num. 15. Homobon de Bonis de examine ecclesiastico ir. 2. cap. 5. quest. 33. in fine, Barbosa supra Concil. sess. 7. numer. 11. & alii. An, & quatenus Episcopus possit parochos rite ac recte semel approbatos, iterum, ac pluries examinare? Vide verb. Parochus art. 1. à num. 21. ad nu-

mer. 28. Examinatus in curia, & idoneus repertus ad canonicatum cathedralis, & de eo à Sede Apostolica provisus, non debet ab Episcopo iterum examinari ad suscipiendum Ordinem Sacrum canonicatum annexum; Sac. Congreg. Concil. die 12. Februarii 1598. Examinandus non est ab Ordinario super literarum, seu idoneitate scientiæ, provisus per Sedem Apostolicam in forma dignum de canonicatu, cujus Ordinem requisitum jam habet: il vero qui Sacros Ordines nondum suscepit, examinandus sunt, an illa habeant adjuncta doctrinæ, quæ ex præscripto Sacri Concilii Tridentini necessaria sunt illi Sacro Ordini, qui canonicatus, quem consequi volunt, erit annexus; sic decisum fuisse à Sac. Congreg. Concil. refert Garzias de beneficiis part. 6. cap. 2. n. 334. Barbos. de canon. & dignit. cap. 13. num. 7. & 8. & in Summa Apostolicæ. dec. verb. Examen, Examinare num. 10. & Fagnan. lib. 1. decretal. in cap. Acceptimus 13. de atar. & qualitat. num. 14. ubi dicit, sic à Sac. Congreg. Concil. fuisse responsum Cardinali Borromæo.

Examinatus ad beneficium, vel officium non tenetur ad aliud simile se iterum examini subicere; secus si ad majus, vel dissimile; Fagnan. loc. cit. num. 39. ubi testatur sic probasse Sacram Congreg. Concilii. Examinandi de novo sunt, & per Ordinarium approbandi cepti beneficiarii in quolibet ascensu; Sac. Congreg. Concil. teste Gonzalez ad Regul. 8. Cancellar. gloss. 34. num. 74. Examinato, & approbato in Urbe ad curam animarum non possunt ab Episcopo Ordines denegari sub prætextu insufficientis literaturæ; Sac. Congreg. Episcop. & Regul. in Sutrina 26. Januarii 1594. Generaliter approbatus ad aliquod officium in Curia non examinatur ad idem ab Ordinario; Sac. Congreg. Episcop. & Regul. 15. Maii 1674. Clerici degentes Romæ non possunt extra eam promovendi ad Ordines sine examine, & licentia Eminentissimi Vicarii, ut ex sequenti edicto: Universis, & singulis Clericis, nunc, & in futurum pro tempore in Urbe commorantibus ad minores, vel Sacros, etiam Presbyteratus, Ordines promoveri volentibus, de mandato S. D. N. Alexandri Papa VII. visis vocis oraculo desuper factis, edicimus, & præcipimus, ne de cetero extra eandem Urbem, etiam vigore literarum dimissorialium suorum Ordinariorum, vel cuiusvis alterius facultatis ad dictos Ordines promoveri se faciant, nisi prævio examine ab Examinatoribus in Urbe deputatis, idonei reperti, & approbati fuerint, ac à Nobis licentiam in scriptis obtulerint. Qui secus fecerint ab Ordinum executione eo ipso suspensi sint, & existant, donec à S. D. N. Papa, & Sancta Sede Apostolica abolutionis, & habilitationis gratiam obtulerint, pro ut aliis tempore felic. record. Clementis VIII. literæ desuper publicatæ fuerant, & in Secretaria nostra semper publice affixa permanserunt Sc. 11. Augusti 1656. M. A. Episcopus Jerap. Vicesgerens.

Examinare potest Episcopus Regulares predicare volentes in ecclesiis, quæ suorum Ordinum non sunt; Sacra Congreg. Concil. in Ugentin. 22. Januarii 1628. Clemens X. in constitut. incip. Superna: ibi: "Possent autem Episcopum licentiam concessurum Regularibus in ecclesiis, quæ suorum Ordinum non sunt, predicare volentibus, illos, quamvis ab Universitatibus, aut Magistratibus laicis nominatos, etiam Episcopi antecessores per tempus immemorabile hanc licentiam absque examine concedere consueverint, quoad doctrinam examinare, si ita ipsius arbitrio, quod moderatum, & discretum esse debet, visum fuerit, & licentiam prædicandi semel eidem concessam ob rationabiles causas, licet occultas, prædicationem tamen concernentes suspendere." Regulares prævio examine semel approbati non possunt iterum ab eodem Episcopo examinari; Sic S. Pius V. constit. incip. Romani Pontificis: ibi: "Volumus tamen eos, qui semel ab Episcopo in civitate, & diocesis suis prævio examine approbati fuerint, ad eodem Episcopo iterum non examinari." Quod item declarat Sac. Congreg. Concilii his verbis: "Congregatio Concilii censuit, Regulares ad audiendum secularium confessiones in civitate, & diocesi ab Episcopo prævio examine approbatos, iterum ab eodem examinandos non esse; ceterum posse iterum

iterum à successore examinari juxta constitutionem Sanctæ mem. Pii V. dat. octavo idus Augusti 1571. & idem statuit Clement X. in cit. const. Superna §. 5. ibi: "Regularis vero ad ejusmodi confessiones audiendas prævio examine simpliciter, & absque ulla temporis prævisione ab ipso Episcopo; secus autem si ab ejus Vicario, aut ab antecessoribus Episcopis approbatos, non posse ab eodem, qui sic approbavit, iterum examinari, aut ab eisdem confessionibus audiendis suspendi, seu licentiam illis concessas revocari, nisi nova superveniente causa, quæ ipsas confessiones concernat, de qua tamen haud necessarium esse, ut in actis conscribet, nec eam teneri Episcopum ipsis Regularibus significare; sed Sedi Apostolicæ duntaxat, ubi eam sibi aperiri postulerit." Superveniente tamen aliqua rationabili, & justa causa, quæ ipsas confessiones concernat, possunt Regulares à confessionibus audiendis suspendi, & iterum examinari ab eodem Episcopo, qui semel eos approbavit; Clemens X. in dict. const. Superna, per allata verba, ibi: "Nisi nova superveniente causa, quæ ipsas confessiones concernat; & Sac. Congreg. Conc. quæ proposito dubio: "An Regularis simpliciter in examine rigoroso semel approbati possint iterum examinari ab eodem Episcopo die 7. Febr. 1654. censuit, "Regularis simpliciter in examine rigoroso approbatos, non posse iterum examinari, nisi nova superveniente causa." Regulares pro confessionibus excipiendis possunt examinari ab Episcopo, etiam si sint Lectores, & Magistri in Theologia; S. Pius V. cit. const. incip. Romani Pontificis. Quicumque Confessarius quantumvis Regularis simpliciter approbatus ab Episcopo antecessore, potest iterum examinari, & si minus idoneus repertus fuerit, reprobari ab Episcopo Successore; Sic Pius V. in cit. const. incip. Romani Pontificis: ibi: "A successore autem Episcopo pro majori conscientia sua quiete examinari de novo poterit, & si minus idonei reperti fuerint, reprobari. Item cit. Sac. Congreg. Concil. per hæc verb. Ceterum posse iterum à Successore examinari, per idem sanxit Urban. VIII. 20. Augusti 1629. & Clemens X. in cit. const. Superna: per illa: "Secus autem si ab ejus Vicario, aut ab antecessoribus Episcopis approbatos. Quamvis autem possint Confessarii Regulares iterum examinari ab Episcopo successore, non tamen iterum examinari possunt à Vicario Capitulari sede vacante, nec ab ipso revocari potest eorum facultas, & approbatio habita ab Episcopo, seu Ordinario defuncto, per abundè adducta verb. Approbatio art. 1. num. 54. ad 59. Et neque Vicarius Apostolicus examinare potest approbatos ab Episcopo; Sac. Congreg. Concil. in una Civitate Castellana 22. Februarii 1592. Et multo minus Vicarius Generalis Episcopi; Ead. Sac. Congreg. in una Reatina 8. Junii 1599. apud Nicol. p. 2. Lucubr. can. lib. 5. tit. 38. de panit. & remis. num. 9. Examinatorum synodaliū electio fieri debet nomine, & cognomine, non vero titulo officii, seu dignitatis tantum expresso; & Clero, Synodoque congregato nominatum, non autem in genere proponendi sunt, ut ab eodem approbentur, alias illorum deputatio nulla esset; Sac. Congreg. Concil. in Synodina Concursum 14. Februarii 1693. Rota in Hortana Parochialis coram Moliner 4. Maii 1693. Monacell. tom. 1. tit. 5. formul. 3. n. 16. cum multis aliis ibi citatis. Electio Examinatorum synodaliū facienda est in synodo formali, non autem in Congregatione Cleri, licet Congregatio synodalis denominaretur, prout declaravit Sac. Congreg. Concil. in Concordien. 8. Maii 1684. in qua cum fere per seculum Judices, & Examinatores Synodales electi fuissent in Congregatione, quæ singulo anno convocabatur cum intervenu Capituli, & omnium parochorum sub denominatione synodali, attento communi errore, & bona fide, concursum, de cuius validitate dubitabatur, sustinendum putavit, addito, Et ad mentem, & mens fuit, quod injungeretur Episcopo, ut cogeret in futurum synodum solemniter, & deputaret Examinatores synodales. Examinatores, qui ab Episcopo propositi fuerint, possunt probari à synodo tam per vota secreta, quam aperta, & Episcopus eum modum in probatione potest facere servari, cum magis

expedire judicaverit; Sac. Congreg. Concil. teste Piases, in praxi Episcop. part. 2. cap. 2. num. 4. & ead. Sac. Congregat. Concil. in una Fulginaten. 3. Decembris 1644. ad cap. 18. sess. 24. de reform. ubi ad dubium: "An electio seu approbatio Examinatorum synodaliū sustineatur, si non fiat per vota secreta? Respondit ratiore arbitrio Episcopi. Examinatores ad minus sex debent eligi quotannis in synodo diocæsana, textu expresso in Tridentino sess. 24. cap. 18. ibi: "Examinatores autem singulis annis in diocæsana synodo ab Episcopo, vel ejus Vicario ad minus sex proponantur, qui synodo satisfaciunt, & ab eo approbentur." Examinatores synodales in synodo ad summum viginti eligi posse, tenent Aldan. in Compend. Canoniarum resolut. lib. 3. tit. 9. num. 29. & Barbosa super Trident. loc. cit. num. 84. & in Summ. Apostol. dec. verb. Examinatores Synodales num. 4. attestantes ita fuisse decisum à Sac. Congregat. Concil. in Cesaraugustana 13. Martii 1623.

Examinatores synodales debent ad sancta Dei evangelia jurare se fideliter minus suum executuros, textu expresso in Tridentini loc. cit. ibi: "Jurentque omnes ad sancta Dei evangelia, se quacumque humana affectio- ne postposita fideliter minus executuros." Hoc juramentum est de forma substantiali, eoque deficiente Examinatores non dicuntur legitimi, & concursus factus coram eis ante præstitum juramentum est nullus; Sac. Congregat. Concil. in una Bisignan. 2. Decembris 1628. ubi censuit: "Concursus factos non præstito juramento ab Examinatoribus fuisse nullos; sed ex gratia convalescendos, factò verbo cum Sanctissimo, qui convalidavit, & confirmavit," refert Barbosa supra Concil. Trident. loc. cit. num. 105. & in tract. d. paroch. cap. 2. num. 78. & in Summ. Apost. dec. verb. Concursum num. 18. & tenent Doctores communiter. Et taliter est de forma substantiali juramentum, ut ipso deficiente ex parte unius solius Examinatoris vitietur totus actus, ut cum multis à se citatis tenet Cardin. de Luca de paroch. disc. 3. numer. 4. & dec. 37. num. 14. Sufficit, tamen, quod hoc Juramentum sit semel præstitum sive in synodo, sive extra synodum. Non enim requiritur, quod juramentum præstetur in synodo, ut communiter tradunt Garzias de beneficiis part. 9. cap. 2. num. 359. Lotter. de re benefic. lib. 1. quest. 31. num. 94. Pax Jord. tom. 2. lib. 10. tit. 8. n. 133. Card. de Luca de paroch. disc. 3. num. 6. Gavant. in praxi synod. cap. 31. num. 8. Pignatelli. tom. 1. consulti. 13. Monacell. tom. 1. form. 7. num. alii passim, & desumitur ex ipso Trident. loc. cit. quia cum ibi Concilium concedat posse eligi Examinatores etiam Regulares, qui non interveniunt in synodo, manifeste colligitur, quod extra synodum possint hujusmodi juramentum præstare, & fuit expresse decisum à Rota in una Favent. Parochialis 28. Junii 1596. coram Cordaba.

Examinatores synodales non possunt quidquam prorsus occasione examinis nec ante, nec post accipere, alioquin simoniæ vitium tam ipsi, quam alii dantes incurrunt, à qua absolvi nequeunt nisi dimissis beneficiis, quæ quomodocumque etiam obtinebant, & ad alia imposterum inhabiles redduntur, textu expresso in Trident. d. cl. sess. 24. cap. 18. ibi: "Caveant, nec quidquam prorsus occasione hujus examinis, nec ante, nec post accipiant, alioquin simoniæ vitium tam ipsi, quam alii dantes incurrant, à qua absolvi nequeant, nisi dimissis beneficiis, quæ quomodocumque etiam ante obtinebant, & ad alia imposterum inhabiles reddantur." Quacumque etiam immemorabili consuetudine non obstante, ut censuit Sac. Congreg. teste Barbosa de offic. & potest. Episcop. allegat. 60. num. 52. Examinatores non possunt quidquam pro labore, vel titulo stipendii ad sustentationem, ex fructibus Beneficii vacantis, vel alia ratione accipere; Garzias de beneficiis part. 5. cap. 7. num. 11. part. 9. cap. 2. num. 374. Riccius in praxi part. 4. resol. 6. num. 4. Barbosa super Trident. loc. cit. num. 107. & alii. Non potest Ordinarius statuere aliquod stipendium, etiam minimum Examinatoribus deputatis in synodo pro concursu parochialium, & si synodus diocæsana secus statuerit, decretum est irritum, & nullum; Sic decisum fuisse à Sac. Congreg. Conc. refert Garzias dict. part. 9. cap. 2.

- 38 *cap. 2. num. 374. Barbos. super Trident. loc. cit. num. 108.* & *alibi allegat. 60. num. 53.* & alii. Examinatores privantur beneficiis antea obtentis, si occasione examinis, si- ve antea, si- ve post aliquod accipiant, etiam gratis, & liberaliter datum, & ad captandam benevolentiam, etiam- si res modica sit, & levis momenti; Nam à Tridentin. *loc. cit.* prohibetur quidquam prorsus accipi occasione hujus examinis; sic resoluit *Garcias dicit. part. 9. cap. 2. num. 390. Riccius in praxi dicit. part. 4. resol. 76. num. 3. Barbos. super Trident. loc. cit. num. 109. & alii.*
- 39 Examinatores peracto examine debent eos ex com- muni sententia renuntiare Episcopo, quos idoneos repe- rint. Sic decisum fuisse à *Sacr. Congreg. Concil. referunt Garcias dicit. part. 9. cap. 2. num. 104. Barbos. super Trident. loc. cit. num. 100. & in Summ. Apostol. decis. verb.*
- 40 Examinatores Synodales num. 16. & alii. Approbatus di- citur in concursu, qui ultra dimidium vocum fuerit con- secutus, quamvis alius omnia suffragia prospera report- averit; sic decisum fuisse à *Sacr. Congreg. Concil. referunt Garcias dicit. cap. 2. num. 109. & Barbos. in Summ. Apostol. decis. verb.* Examinatores Synodales num. 15. & *super Trident. loc. cit. num. 116.* Examinatorum vota licet Concilium non expresserit an palam, vel secreto fieri debeant, magis tamen expedit, ut Examinatores palam inter se sua vota conferant. Deinde Notario jubeant, ut in actis suis simpliciter scribat Titium approbatum ido- neum; Sejum vero reprobatum, ut fit Romæ. *Sacr. Con- greg. Concil. penes Garciam dicit. part. 6. cap. 2. num. 107. Barbosam in Summ. Apostol. decis. verb.* Examinatores Synodales num. 18. & *super Trident. loc. cit. num. 112.*
- 42 Examinatores debent dare vota, dum simul congregati sunt cum Episcopo, non autem separatim, sicut etiam Episcopus, ubi datur locus accessui, debet accedere Examinatoribus simul congregatis, *Garcias dicit. part. 9. cap. 2. num. 58. Massobrius in praxi, Requisit. 4. dub. 4. Barbosa super Trident. loc. cit. num. 113. Card. de Luca, d. Paroch. disc. 1. num. 21. & 27. disc. 3. n. 7. & disc. 37. num. 19. & alii.*
- 43 Examinatores tenentur facere relationem, etiam circa mores, ætatem, & reliqua, & debent renuntiare quot- quot idonei iudicati fuerint, Episcopus vero debet ex his, qui renuntiati fuerint, magis idoneum eligere. *Sacr. Congreg. Concil. apud Garciam de benef. part. 5. cap. 7. num. 11. & part. 6. cap. 2. num. 237. & part. 9. cap. 2. nu- mer. 108. Barbosa in Summ. Apostolic. decis. verb.* Examinatores Synodales num. 18. Examinatoribus approbantibus aliquem tamquam magis idoneum in scientia, cujus tamen mores ignorantur, & habentibus alium non tam doctum, sed ab eis cognitum, & approbatum in omnibus, hic ultimus est preferendus. *Sacr. Congr. Concil. apud ip- sum Garciam dicit. part. 6. cap. 2. n. 111. Barbosa loc. cit. num. 19.* Non pertinet ad Examinatores Synodales, sed ad solum Episcopum judicare quis ex concurrentibus ad parochialem vacantem sit magis idoneus. *Sacr. Congreg. Concil. testibus Zerola in praxi Episcop. p. 1. verb. Parochia, §. 2. Armendar. in addit. ad recap. Legum Navar- re lib. 18. l. 7. num. 58. Barbosa loc. cit. num. 21.* Vide ad rem *Card. de Lugo tom. 2. disp. 33. sect. 5. n. 64.* Examinatores debent vota sua dare, sed Episcopus non tenetur ex collatione votorum eligere, potest enim, cui ma- juerit ex approbatis beneficium conferre, non habita ratione calculorum ipsorum votorum, & debet expectare ut Examinatores renuntiet, quos judicaverint idoneos *Sacr. Congreg. Concil. apud Massob. in praxi habendi concu- rrum, requisit. 4. dub. 4. Barbosa loc. cit. n. 20.* Idonei, & approbati dicuntur illi, qui habeant majorem partem votorum favorabilium, quamvis minor pars eos reproba- ret, minusque idoneos renuntiare, quoniam tamquam in actu capitulari, seu collegiatiivo major pars trahit ad se minorem, eamque suffocat, ita ut habeatur, ac si ac- tus ab omnibus gestus esset; Et talis approbatio idonei- tatis absque distinctione notorum facta dicitur eo ipso, quod quis habet majorem partem, quæ constituitur etiam per dimidium vocum, quod excedat medietatem. Sic *Card. de Luca de parochis disc. 1. num. 18. & disc. 37. num. 20.*
- 48 Episcopus potest eligere etiam extra locum examinis,

& absentibus ipsis Examinatoribus. *Garcias dicit. part. 9. cap. 2. num. 59. Massobri. dicit. praxi requis. 5. dub. 20. Bar- bosa super Concil. sess. 24. cap. 18. num. 120. Card. de Luca de parochis disc. 1. n. 20. & alii.* Episcopus in pa- ritate votorum potest accedere quibus voluerit, ut si ex quatuor examinatis, duo approbaverint, & duo repro- baverint, accedendo Episcopus, vel Vicarius duobus approbantibus, Examinatus dicitur approbatus; & si accedit reprobatibus dicitur reprobatum. Unde Episco- pus in accedendo potest aliquem ex non approbato face- re approbatum ex declaratione *Sacr. Congregat. Concil. edita sub die 29. Aprilis 1604.* per quam casus deciditur in individuo tam circa adhesionem, quam circa præelec- tionem, cujus tenor præcisus, ut refert *Card. de Luca de parochis discurs. 1. num. 14. & 15.* est ut sequitur.

Dubium: *An existentibus duobus concurrentibus exami- natis à quatuor Examinatoribus, quorum unus reporta- vit omnia vota favorabilia, alter vero duo tantum favora- bilia, possit Episcopus sui voti accessione approbare secun- dum; ita ut cum hic secundus ultra dimidium, incluso voto Episcopi vota favorabilia habeat, sit judicandus ido- neus, ut primus; ita ut liceat deinde Episcopo eligere ex his duobus, qui sibi magis idoneus videbitur?* Die 29. Aprilis 1694.

*Congregatio censuit, cum quoque, qui à duobus Exa- minatoribus approbatus, & alius duobus reprobatum fuit, si Episcopus votis approbantibus accesserit, quemadmodum ei licet per decretum Concilii cap. 18. sess. 24. approbatum in- telligi, ac propterea posse etiam ad Parochialem vacantem regendam Episcopi electione alteri proferri si eo altero magis idoneum judicaverit.*

In diocesi, in qua sunt duæ cathedrales unitæ, sunt deputandi in qualibet Examinatores distincti ab aliis alterius cathedralis. *Sacr. Congreg. Concil. in Pavalens. & Sulmonen. 7. Sept. 1650. Pignatell. tom. 1. consult. 413. Card. de Luca de benef. disc. 10. num. 17. de parochis discurs. 3. num. 5. disc. 37. n. 16. Annotat. ad Concil. disc. 32. num. 6. & alii passim.* Vide tamen *verb. Synodus num. 6. Alia vide verb. Approbatio art. 1. à num. 47. ad fin. verb. Beneficia art. 3. usque à num. 22. ad 54. & verb. Concur- sus, art. 2. & 3. per tot.*

\*\*\* Examinis pro collatione ecclesiarum parochia- lium habendi forma præscripta à Benedicto XIV. tom. 1. constit. 68. incip. *Cum illud, §. 7.* Vide tom. 2. *verb. Concur- sus in principio.* Examinis forma à Dataria Apostoli- ca servata proponitur locorum Ordinarii. *Idem ibid. §. 7.* Examinatores judicium ferre debent, non solum de doc- trina, sed etiam de aliis qualitatibus requisitis in paro- cho. *Idem ibid. §. 11.* Examen iterari non conceditur in judicio appellationis, nisi ex actis prioris examinis probetur gravamen, quoad doctrinam. *Idem ibid. §. 7.* Vide *verb. Concursum ubi alia ad rem.*

Examini diocesani Episcopi ante Ordinationem sub- jici debent etiam Regulares. *Idem tom. 2. constit. 27. incip. Impositi Nobis.*

Examinatorum synodali electionem fieri debere nomine, & cognomine, non vero titulo officii, seu digni- tatis tantum expresso, jam tradidit supra *num. 25.* ex *decr. Sacr. Congr. Concil. que iterum novissime, cum in synodo diocesana Polycastrensi inter Examinatores Synodales deputatus fuisset etiam Vicarius Generalis Episcopi, sub solo nomine appellativo dignitatis Vicaria- tus, atque hic una cum aliis duobus Examinatoribus Synodali- bus interfuisset concursui habito ad quamdam paro- chialem die 19. Septembris 1754.* concursum convalida- vit ad cautelam, sed simul scribendum dixit Episcopo, Vicarium Generalem non posse deinceps Synodalis Exa- minatoris munus exercere, nisi proprio expresso nomine ad illud iterum deputaretur, ut refert *Benedictus XIV. de Synodo Diocæs. lib. 4. cap. 7. num. 5.*

Examinatores Synodales durant usque ad novam Synodum, licet quolibet anno celebretur. *Sacr. Congreg. Concil. in Imolen. 10. Decemb. 1659.* Si autem aut om- nes, aut aliqui ex designatis in ultima synodo morian- tur,

tur, vel in longinqua recedant, tunc si saltem ex designatis remaneant, Episcopus istis uti debet, nec potest alios pro mortuis, aut è diocesi discesis substinere. Si vero sex saltem non supersint, tum ex decreto Cle- mentis VIII. relato à *Garcia de beneficiis part. 9. cap. 2. num. 72. & à Fagnano in cap. Cum sit ars, num. 14. de ætate & qualitate, possunt Episcopi alios subrogare, dum- modo predicti sint qualitatibus à Tridentino præscriptis, à Capitulo approbentur, & una simul ex electis in syno- do sex non excedant; & id fiat intra annum à synodo celebrata, quo elapso talis facultas, & eorum auctoritas statim expirat. *Idem citat. lib. 4. cap. 7. n. 7. & 8. Vide tom. 2. verb. Concursum, art. 2.**

Si ex Examinatoribus non subrogatis, sed in ultima synodo electis sex supesites extant, omnes perseverant in officio, & illis uti debet Episcopus in concursibus ad parochiales. At si vel unus ex illis decesserit, ita ut ex electis in synodo sex non remaneant, omnium eorum munus expirat, & nullo ex illis uti poterit Episcopus in dictis concursibus, ut censuit *Sacra Congregatio Conci- lii apud Garciam cit. cap. 2. n. 73. Fagnan. loc. cit. num. 14. Massobrius in praxi habendi concursum requis. 12. dub. 4. & refert idem Benedict. loc. cit. num. 8. qui num. 9. recte subjungit, quod elapso anno, & non existi- tentibus sex Examinatoribus in synodo electis, ut vali- de possit insituri concursus, necesse est ut Episcopus vel novam synodum celebret, in qua sufficiens numerus Examinatorum eligatur, vel facultatem petat à *Sacra Congregatione Concilii* novos Examinatores extra syno- dum deputandi; Aliàs si concursus fiat coram Examina- toribus extra synodum designatis ab Episcopo nulla ad hoc instructio speciali facultate, erit nullus; Hinc cum in diocesi Bracharensi plures parochiales collate fuissent concurrentibus approbatis ab Examinatoribus extra synodum deputatis ab Archiepiscopo cum consensu Cap- ituli, opus deinde fuit, ut qui illas obtulerant, preces porrigerent Summo Pontifici, ut suprema sua autori- tate earundem collationes convalidaret; & *Sacr. Congr. Concil. ad quam preces remissa fuerat, die 12. Jan. 1715.* illas convalidandas censuit, quia supplicantes bona fide parochiales acceptaverant, atque ex Archiepiscopi ates- tatione constabat, multa exortura scandala, si novus concursus ad illas foret indicendus, quod refertur in *thesaur. resol. tom. 9. pag. 219. loc. cit. num. 9.**

Sacra Congregatio probe noscens non facile, ob varias causas, esse Episcopis singulis prorsus annis synodum celebrare, ne idcirco legitimum careant Examina- toribus pro concursibus ad parochiales, statim ac ali- quis Episcopus ei exponit, sex electos in ultima synodo non extare, facultatem ei concedit eligendi novos à majori parte Capituli approbandos, quorum tamen mu- nus duraturum decernit tantum ad annum; & iterum ad preces Episcopi illos in munere confirmat, quod & deinceps semper in annum isdem prorogat; *Idem ibid. num. 10.* ubi recte subdit, quod si Capitulum illos, quam- vis ceteroquin idoneos, approbare recusaverit, licet *Pignatellus, & P. Andreucci* ibi citati existiment habendos esse nihilominus in tali casu pro approbatis, tutius tamen erit ad evitandas innumeratas lites, & controver- sias solitas oriri in similibus casibus, ut tum Episcopus à *Sacra Congregat. Concilii* petat supplementum consen- sus sine justa causa à Capitulo denegati, ut de facto supplicet in una *Messanensi die 20. Septembris 1645.* similiem nominationem, seu electionem Examinatorum synodali, quam Capitulum detrectaverat approbare, convalidando, ut apud *Thesaurum tom. 9. in Aversana electionis Examinatoris synodali.* Urgente: refert *Bruti- sissimus Eminentissimus Cavalchini, qui uti Secreta- rius dicte Sacre Congregationis Concilii sub die 10. Januarii 1739. & 16. Maii ejusdem anni 1739.* instabat no- mine Ordinarii Aversani pro simili supplemento degena- ti Capitularis consensus, ibi: *An nominatio Sacerdotis Cajetani Perusini in Examinatore synodalem facta ab Ordinario sit confirmanda, non obstante dissentio 10. ex 19. Canonis in Capitulo intervenientibus, & suffragium fe- rentibus in casu, &c.* Et cum perpensus fuisset, jam tum elapsam fuisse annum, quod præfactus Sacerdos exer-

cere potuisset Examinatoris munus, cum ex supradictis talis facultas soleat concedi solum ad annum, *Sacr. Congregatio* supervacaneum duxit causam definire, ejusque propterea discussionem supersedit, cum solo rescripto, *Non proposita attentio lapsu anni.* Sic apud *dict. Thesaurum tom. 9. in allegata Aversana sub die 16. Martii 1739.* Quod dicitur *Benedictus loc. cit. num. 10. allegat sub die 2. Martii 1739.* Examinatores in concursu ecclesie paro- chialis juris patronatus ecclesiastici solum idoneos, non digniorem designare debent; *Idem loc. cit. lib. 4. cap. 8. num. 7.* ubi multa tradit ad rem merito videnda & ob- servanda.

Examinatores congruentius suffragia ferunt palam cum, municando secum invicem, tum indicendo notario hunc, vel illum esse approbatum. In quam sententiam, quæ est *Fagnani, inclinat Pontifex loc. cit. cap. 8. §. 4.*

In judicio Examinatorum nulla fert suffragia Episco- pus, vel Vicarius loco Episcopi residents, nisi in casu pa- ritatis votorum, aut si sint singularia: tunc enim potest Episcopus quibus censuerit partibus accedere, sed hoc præstare debet tunc coram iisdem Examinatoribus. Ita ex *Garcia, ibid. §. 5.*

¶ Quod ait *Auctor num. 43.* Examinatores in concu- su ad parochiales referre debere non solum de doctrina, verum etiam de moribus, prudentia, ætate, aliisque ad regendam ecclesiam parochialem necessariis, hoc adeo verum est, ut si Examinatores de sola doctrina referant, concursus irritus sit, tum irrita facta subinde ab Episcopo collatio parochialis ecclesie, ut firmavit *Rota in Casanen. Parochialis 8. Martii 1751. §. 3. & 28. Junii ejusdem anni pariter §. 3. coram Illustriss. Migazzi.*

Idque procedit, etiamsi Examinatores inquisitionem dictarum aliarum qualitarum præter doctrinam commisere- rint notioni & conscientie Episcopi, tum etiamsi oretus- tus Examinatores retulerint de relictis aliis qualitatibus, dummodo tamen exactio non constet eos oretum retulisse, & demum etiamsi contraria sit conclusio, ut respondit *Rota in dict. Casanen. Parochialis 8. Martii 1751. à §. 5. 74 ad finem, & 28. Junii ejusdem anni à §. 6. ad finem coram Illustriss. Migazzi.*

Nota vero, quod ut Examinatores dicantur retulisse tum de doctrina, tum de aliis qualitatibus, necessarium haud est, quod (sunt verba *Rotæ in dict. Casanen. Parochialis 8. Martii 1751. §. 6.*) Examinatores judicium super singulis qualitatibus concurrentium distincte & sigilla- tim proferre teneantur, quam satis sit eorundem qualitarum ab Examinatoribus habitam fuisse rationem per indefinitam orationem, qua concurrentes ad ecclesiam, regendam ido- nei renuntiantur. *Idem ibid. & alibi.*

EXCOMMUNICATIO.

ARTICULUS I.

Quoad excommunicationis esse, & divisionem.

SUMMARIUM.

- 1. Excommunicatio quid sit.
- 2. Hac censura includa est in ecclesiam propter potestatem ligandi Prælati ecclesiasticis traditione.
- 3. Et in praxi deducta ab Apostolo Paulo.
- 4. Excommunicatio in jure sapit anathema appellatur.
- 5. Anathema græce significat latine separationem alicujus à reliquis partibus.
- 6. Excommunicatio, & anathema licet essentialiter non differant, differant tamen quoad solemnitatem.
- 7. Excommunicatio, vel incurritur ipso jure, vel si ab homine infigitur, sola sententia Judicis ecclesiastici in scriptis concepta cum minori strepitu, quam anathema pronuntiatur.
- 8. Anathema autem infigitur cum majoribus caeremoniis ad majorem terrorem aliorum præscriptis.
- 9. Assignatur modus observandus in fulminatione anathe- matis.